



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Concio prima ad clerum in Synodo dioecesana vndecima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

questa mia carne. Vedrò Dio, e farò
lo medesimo che lo vedrò, e non altri
per me: e questi miei occhi vedranno
quella santissima humanità del figlio
Io di Dio: & ho questa vita e ferma spe-
ranza riposta nel seno del mio cuore.
Quanta ragione haeuia Giob di deside-
rare, che fossero scritte queste parole
in vn libro con vna penna di ferro, o in
vna piastra di piombo, o più tosto con
uno scarrello scolpite in vn safo viuo,
perche mai si cancellassero dalla me-
moria de gli huomini. [Quis mihi tri-
buat ut scribantur sermones mei? quis
mihi det, ut exarentur in libro, stylo fer-

re, & plumbi lamina vel calte sculpa-
tur in filice? Piaccia a Dio, cari figli-
uoli, che tutti noi a guisa di quelli lumi-
ni accessi & ardenti, talmente conuersiammo
in questa Chiesa militante, che in noi
riluca la fede santa, e sia sempre uno ar-
dore continuo di carità; e così glorifi-
cando Iddio, siamo degni finalmente
di essere ammessi e collocati a glorifi-
carlo in quella Chiesa superna e triom-
fante con quest'anima, per cui hoggî
preghiamo: alla quale sia requie in se-
piterno, e luce perpetua in tutti i secoli
de i secoli. Amen.

CONCIONES IN SYNODO DIOECESANA XI. HABITAE ANNO M. D. LXXXIII.

*Ab Illustriss. & Reuerendiss. Carolo Tit. S. Praxedis
Cardinali, Archiepiscopo Mediolani.*

Hoc postremo septimæ partis actorum loco, quatuor alias Con-
ciones ad Synodum Dioecesanam XI. ab eodē Cardinali Archiep. summa torius cleri attentione atq; admiratione habi-
tas imprimi curauimus; non Italico, prout habite sunt idio-
mate, sed latino, totidem verbis, quibus à familiari quodam,
qui eidem Cardinali scribendis de suggestu concionibus ope-
ram nauabat, conscriptæ, ad nostras manus peruenierunt.

C O N C I O . I.

Ad Clerum in Synodo Dioecesana XI.

V. I. D. agimus ho-
die fratres in Do-
mino dilectissimi?
ad quid hunc in lo-
cum conuenimus?
Videor aliquos re-
spōdentes audire:
facimus, quod iam
à multis annis facere consueuimus. San-
cta profecto & laudabilis contuetudo
hac est, ab ipsis Apostolorū primordijs

ad hęc usque tempora Spiritus sancto di-
stante ac promouente deducta: & utinā
sic nunquam, ex quo primum induci co-
pit, intermissa fuisset; quæ sicuti adeo
efficax & potens fuit medium, ad augen-
dam, promouendam, ac stabilendam
Ecclesiasticam omnem disciplinam; sic
eius intermissio, origo fuit atque prin-
cipium tantę ruinę ac pernicie spiri-
tualis. Sed cur in hac hodie consuetu-
dine perseveramus? quia sic (aliqui re-
spondent) usus retinuit. Ergo ob usum
solūm, & ex usu, huc accessimus? Immo
solūm: & quidem non sine aliqua no-
stra molestia; absimus enim ab ædi-

F 2 bus

bus nostris multo cum incommodo, la-
bor est extraordinarius, Actio prolixa,
hora iam tarda; non sine aliquo sum-
puum dispendio, ac forte etiam infirmi-
tatum, & ægræ valetudinis incurriende
periculo. O fratres, ò filij; indigna vo-
bis est vox hæc. Ergo ne post tot annos
& synodos, adeo parum quid? Synodus
importet agnouimus, vt ex vsu, & ob vsu
tantum, & cum molestia celebremus?
Poeniteat nos quin potius, & doleamus
grauissime, q̄ Diuina hæc officia nostra
tories ex vsu tantum haec tenus feceri-
mus, q̄ congregations sacerdotales, &
spiritualia, quæ vocant, capitula inieri-
mus. Proh dolor, nos infelices, quoties
Dei Regiam intramus; quoties in sa-
cro sanctum eius cubiculum secretius,
nempè Chorum conuenimus; & quod
peius est, quoties sacramenta sanctissi-
ma tractamus, Missas celebramus, &
alia Diuina peragimus, ex solo vsu?
An non, Reuerendi Sacerdotes, aperi-
tissimum huius testimonium proferunt
ij, qui in sacro sanctis hisce functioni-
bus tot annos versati sunt, & semper ta-
men ijdem perseverant miseri? It sacer-
dos ille quotidie ad funeralia, sepelit
mortuos, quantas hominibus peccatorū
strages attulerit, oculis videt, tractat
conscientias illas tam multis enormi-
bus peccatis coninquinatas, spectacula
horrenda & deploranda vel nolens
aspicere cogitur; & idem tamen sem-
per perseverat; immò in cordis per-
transit duritiem: & hæc omnia, quia
licet illa viderit extrinsecus, intrinse-
cus tamen cordis oculos illis non adhi-
buit. O si præteritæ Congregations,
ac spiritualia Capitula, vsu hunc præ-
tergressa fuissent, ac viterius aliquan-
tulum processissent, quam mirificos in-
de fructus, & spirituales consolatio-
nes eliciuissent. Absit, Absit à nobis,
& ab omni cœtu nostro, abusus hic de-
plorandus; vt sacra hæc ob solum vsu
peragamus, nullum fructum queram-
us, non ea cognoscere satagamus,
nec quanti sint à nobis facienda recon-
gitemus. Hoc enim radix est tardita-
tis nostræ in progressu spirituali, hoc
fructus impediunt vberimos, quos in-
de percipere potuimus, hoc deplo-

ratur i iam huc conuenimus, hoc ad Cor-
durum nos induxit, & plagas nostras
insanabiles reddidit, & medicinas po-
tentissimas, q̄ualis est hæc synodorum
coactio, suis defraudauit effectibus:
hæc sola causa fuit, quod currentibus
annis, soli nos immobiles perstitimus,
nec de virtute in virtutē (vt par erat)
progressi sumus. Et qui fieri potest, vt
ad illa Apostoli verba non tremamus,
& ea cogitantes toti non commouea-
mur? Terra enim (inquit ille) s̄pē ve-
nientem super se bibens imbre, & ge-
nerans herbam opportunam illis à qui-
bus colitur; accipit benedictionem à
Deo; proferens autem spinas ac tribulos,
reproba est, & maledicto proxima
cuīs consummatio in combustionem.
Terribilia verba sunt hæc; quæ ideo à
nobis in medium afferuntur, vt si quis
quam hoc spiritu huc accessisset, eum à
se penitus eradicare contendat. Confi-
dimus autem de vobis, dilectissimi, me-
liora, & viciniora saluti, tametsi ita lo-
quimur, cum Paulο; neque enim igno-
ramus, plurimos hic bonos sacerdotes,
ac dignos Dei ministros, & coopera-
tores nostros hic adesse: Cupimus au-
tem vnum quemque vestrum eandem
exhibere sollicitudinem ad expletionē
spei, vsque in finem; vt non segenes effi-
ciamini, verū imitatores eorum, qui
fide & patientia, hæreditabunt promis-
siones.

Est ergo hæc synodalis actio vsus quidē
sanctus atq; laudabilis, sed non propter
vsu duntaxat tractandus, verū præ-
missa præparatione non modica; né tan-
tum malum committamus, n̄e sine fru-
ctu tam fructiferam medicinam in hæc
adhue tempora nobis à Domino Deo
reseruatam sumamus.

Dœnit Spiritus sanctus actioni ho-
diernæ admodum conformi, quanam ra-
tione præparati, huc debemus accede-
re. Confractæ fuerant tabulæ legis; Exod 34
voluit eas denuò Moysi Dominus da-
re; & in hunc modum ei præcepit.
Præcide tibi duas tabulas lapideas, in-
star priorum, & scribam super eas ver-
ba quæ habuerunt tabulæ quas fregi-
stī; Esto paratus mane, vt ascendas st̄a-
tim in montem Sinai; stabisq; mecum
super.

Super verticem montis. Nullus ascendet tecum, nec videatur quispiam per totum montem; boues quoque & oves non pascantur è contra. O Reuerendi Sacerdotes, quam bona, quamque sufficiens esset huiusmodi præparatio, si in omnibus nobis existeret. Confratæ iam sunt tabulae legis Domini, Diuina præcepta (heu) a quamplurimis negliguntur; decreta & Conciliorum præteriorum constitutiones non obseruantur: Dignatur tamen adhuc patientissimus Dominus hodie tabulas legis innouare, atque reficere, vetera decreta inculcare, ac quomodo ea obseruari velit, docere: Mane ergo nos expedit præparari.

Illo inquam mane spirituali, quo Iustitiae sol mentibus nostris illucescat, quo Diuinæ gratiæ radijs illustremur, prout hoc mane fecimus omnes, Missas celebrando, & qui non celebrant, sacramissimum Christi corpus suscipiendo. Tum verò soli ascendere iubemur; vt nec iumenta quidem, quòd nos ascendemus, pascantur è contra. Bone Deus, num iumenta illa Diuinæ tuæ legis traditionem poterant impedire? ecquid obstabat, licet ea illic pascerentur, quòd minus seruo tuo Moysi legem præscriberes? Magnum, fratres, mysterium: Optima synodi huius est dispositio, vt soli ascendamus; soli simus cum Deo in vertice montis, in Culmine perfectionis: omnium quippe humanarum operacionum, Synodalibus hæc actio velut imponens est, & montis vertex: nil aliud, nec propè nos, nec è contra, nec vlla ex parte videamus, nisi Deum cum quo loquimur. Cur sumus hic congregati? (dicat quilibet nostrum) vt quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta intelligamus, per os ministri eius, prælati nostri; vt quæ haec tenus executioni demandata nō fuerint, demandare proponamus; ideo sensuales omnes affectus sunt rejiciendi, quæ sunt iumenta quæ hic pascerre prohibentur; omnia quæ cor nostrū vlla ratione possunt inficere, omnes agnatorum, rei familiaris, amicorum intuitus abijciantur; sed soli in solum Deum mentis nostræ oculos conuertamus. Utinam sancta hac soli-

Pars III.

tudine accederemus dispositi, vt per os nostrum Dominus diceret; ducam Sacerdotes hos in solitudinem, & loquar ad Cor illorum. Dicamus ergo singuli: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; Cordis ei aures aperiam, ceteris omnibus vale dicam, nè à tanti sermonis auditu distrahat; quoniam loquitur Dominus pacem in plebem suam; ille inquam qui totus est pax, qui non cogitat nisi cogitationes pacis: & super sanctos suos: super hos sacerdotes, sibi sanctificatos, sacrosanctæ vocationis oleo dedicatos, à terra, & omni carnis commixtione segregatos: & super eos quæ conuertuntur ad Cor. Audiamus ergo hodie breuiter fratres quid agamus; tum verò cur id agamus, vnde etiam facile quomodo agere debeamus, colligemus.

Quid agimus fratres? Synodum agimus. & quid synodi nomen importat? Congregationem significat, atque conuentum. Et quarum personarum? nempe adeo excellentium & eminentium in sancta Ecclesia; Episcopi videlicet, & membrorum ei coniunctionorum, Canonicorum Metropolitanorum huius Ecclesie, tum etiam aliorum; Præpositorum, Parochorum, Sacerdotum, Clericorum. Qui sunt hi qui huc conueniunt? Oh hic deficit sermo: qui enim mente concipere valeat, nè dicā verbis exprimere, quanta sit horum dignitas & excellentia? H̄i sunt conditum omnium horum populorum, patres huius plebis, Duces & magistri harum animarum, spirituales Medici, in militia hac Christi Diuini Imperatores, Soles, sales tantarum gentium; licet enim Christus sit iustitiae sol, his tamen quoque proprio ore dixit; Vos estis lux Mundi: hi sunt nubes prægnantes, & onusæ imbris gratiæ Dei, qui eam populis deferunt universis; hi sunt sancti, Deo consecrati, hi sunt pupilla ipsa oculorum Dei; hi sunt Christi Domini, hi denique Diū sunt.

Magna profectio est hæc Congregatio; sed non hi soli conueniunt; verū (quod multò magis est) cum ip̄s etiam conuenit ip̄femēt Dei filius Dominus Iesus, nisi ei nos obicem ponamus: si

Oſca 1.

F. 3. enim

enim vbi duos vel tres congregati fuerint in nomine ipsius, in medio eorum se ad futurū pollicitus est; quantò magis in medio erit non duorum, sed non gentorū amplius; & non ē quolibet hominum genere, sed sacerdotum suorum in suo nomine coadunatorum? si eodem affectu uniti, simul idem spirabimus; si fines omnes nostros & intentiones conformabimus ad gratiam suam petendā, & Sanctum spiritum suum? Si duo ex vobis (ipsemet Dominus) consenserint super terram, quodcunque petierint patrem in nomine meo, fieri eis; quantò magis ergo obtinebimus nos, tanto (vt audiuitis) præstantiores, Deoque magis dilecti, in unum consentientes, & una uim illius procurantes honorem & gloriam, qui in hoc ab ipso positi sumus, vt Spiritum sanctum suum in his synodalibus congregationibus imploremus?

Et locus ipse quod conuenimus, consideratione dignissimus est; hic enim non est aliud nisi Aula Dei, & Regia Domus eius, ac porta Cœli: hic personaliter & realiter totus Christus est præsens; Adsunt cum eo innumera sanctissimorum Angelorum & beatorum spirituum millia; hic depositæ sunt sacrosanctæ tot sanctissimorum hominum reliquias; hic nihil nisi Cruces, nisi imagines; omnia sancta sunt, omnia sanctitatem spirant, omnia timorem quendam filiale incutient, dum vbi simus, & coram quo, nobis significant. O si oculi mentis nostræ aperirentur; & sic quæ nobis hic sunt abscondita videmus, prout visibilia hæc intuemur; quæ maiestatem, quæ lumen, qualem splendorem, quos Aulicos, quales ministros videmus.

Quibus huc conuenimus? populis nobis commissis, animabus adeo pretiosis, pro quibus Dei filius sanguinem fudit, quibus creata omnia si comparentur, vilescent; quas solas dæmones appetunt & impetunt, oppugnant, & impugnant; quibus solis contenti essent, cæteraque omnia vobis relinquentes libertissime, dicunt: da mihi animas; cætera tolle tibi. Conuenimus etiam nobis Ipus spiritualiter in Domino iuandis;

ac demum bonorum omnium auctori Deo, ad cuius procurandum honorem ac gloriam omnes in primis hæc synodi diriguntur.

Quoties autem huc conuenimus? Undecima hæc synodus est à nobis habita, ex quo, Sacrosancti Tridentini Concilij decreto, laudabilis hec consuetudo, que in desuetudinem abierat, in usum est cœpta reuocari. Nos ergo supra nos ipsos reflectentes, cogitemus obsecrò ac discutiamus, quantumnam post tot synodos profecerimus: hoc verò in se quilibet inuestiget. Addam verò si ardentissimus hic stimulus nos non inflammerit; Moueat attamen hoc: quis seit, an quotquot hic adsumus, duodecimam venturo anno simus celebraturi? an ad illum usque diem viuere permittamus? Nec ego quidem hoc fecio; nec vos scire poteritis; Mortis siquidem hora nihil incertius, cum morte tamen nulli magis certum existat.

Quod si iam nos ante tremendum illud Dei Tribunal præsentari contingere; ò quam multa cuperemus fecisse; quam vellemus omnia, quæ præteritis synodis præscripta fuerint, diligenter obseruisse. Hoc ergo ipsum, è post pœnitentiat, iam quilibet nostru curet; & quod propheta dicit, ipse faciat; super custodiā meam itabo, & figam gradum super munitionem, & contemplabor, ut vnde deam quid dicatur mihi, & quid respondam ad arguentem me; tanto enim arctior nobis atque exactior erit Deo redenda ratio, quanto plures sine fructu præcesserint synodi.

Sed quid fit in his synodis? succurrunt afflitis Christianæ Reipublica rebus mirum in modum spiritualiter: hic enim imprimis fidei professionem, qui hactenus non emiserunt, emittunt, quod & cæteri videntes, in fide etiam ipsi confirmantur: est generalis quadam visitatio synodus; alias etiam per annum particulares quasdam Ecclesiæ duntaxat visitamus; hic verò generatim sacerdotes omnes, & clericos, ac in ipsis successim modo populos eis communios: neque verò nouum institutum hoc est, quod & ab ipsis Apóstolo unum temporibus executioni demandatum fuisse

Habacuc.

com-



Mat. 6.

comperimus; nam cùm discipulos suos Dominus misserit, illi redeentes (inquit Marcus) renunciauerunt omnia quæ fecerant, & docuerant, etiam Domino Iesu.

Addo, quod si quis diligenter animaduertat, quæcumque synodus præcesserunt; & quæ in ea sunt; quæcumque etiam post eā sunt, & quæ ab ipsa egredientur in populos decreta; comperiet esse synodum similem motui primi Orbis, qui suo motu cæteros omnes inferiores cœlos impellit, hic enim, Episcopus seipsum commouens, cooperatores suos etiam omnes inflammat, & per ipsos, populos: hic testes synodales & punctatores constituantur; qui disciplina Ecclesiastica sunt in tota diœcesi, hac bases & fundamenta: hic examinatores, & alij deliguntur, à quibus pendet omnis Religiose & Clericalis vitæ obseruantia. In hac quippe synodo Crotius huius Diœcesis adest; quod calefactum ipsam in primis, diffundit postmodum in cætera membra calorem suum: egredientes siquidem hinc Sacerdotes, Castella omnia, & Villas; homines & mulieres, charitatis igne quo hic replentur, succendent. Et sicut ad Caput etiam mittit spiritus vitales Cor, sic (fatemur nos profectò) cùm, disponente Domino, vestrum, & totius huius diœcesis caput sumus; fatemur inquam, quia mirum in nobis calorem & ardorem, vestro hoc conuentu excitatum sentimus & expiramus. Et quid mirum si calefiat homo hic, vbi est fornax & clibanus igne charitatis succensus, sanctus videlicet spiritus Domini? Vnde licet frigidus huc quandoque accedam & languidus; in vos tamen, dilectissimi fratres, oculos converrens, haurire mihi video, ac cordis penetrabibus introducere viuas quasdam, & ardentissimas zeli, ac charitatis flamas. Sed & alia hic à Domino postulantur; publica enim est hæc oratio, qua pro sanctis imprimis Domino nostro D. Gregorio Papa XIII. ac pro vniuersa sancta Ecclesia; tum, pro Rege nostro p̄issimo, ac omnibus eius magistratibus ad Deum preces funduntur.

Hic præterea applicatio fit magis par-

ticularis Conciliorum tam vniuersalium quam prouincialium: Mutuò sese Episcopus cognoscit & Clerus; qui, quidem vel solus aspectus, maximâ excitat charitatem, animosq; conciliat, ad iuuandum & promouendum vnanimiter Dei honorem. Hic consultantur ea, quæ ad hoc spirituale regimen pertinent, cum his qui administrationis participes sunt; hic vuniformitas deliberatur in execuzione legum præteriorum; hic abusus qui vigent in populo disquiritur, & opportuna eis adhibēda remedia statuuntur; ac quam quisque hac in re diligentiam adhibeat, cognoscitur. Hic demū præterita tempora cum futuris conseruentes, & utrisque de cœta ac Constitutiones iam editas applicantes, culpas quidem præteritas deflemus, emendare verò in posterum deliberamus.

Num verò, & hoc ipsum tempus, nonne plurimum nos excitare deberet? Synodum celebramus, quo tempore tanta sauit atque grassatur in populis peccatorum pestis atque colluies, & tanta est operæ nostræ sedulæ necessitas; cùm tanta est populorum expectatio; tum propter se, tum propter nos etiam: cùm tantæ ad Dominum preces funduntur ab omnibus omnium generum & conditionum hominibus: cùm iam qui per Civitatem & Diœcensem sunt, dicunt: Nostrí sacerdotes, pastores nostri, & Patres, coram Domino sunt, coram Prelato & Episcopo suo: ô Deus, esto & tu cum eis: descendere super illos prout super Apostolos olim, in linguis ignitis; adure eorum linguas & corda: vt inde egredientes, è pectoribus nostris omne peccatorum frigus expellant.

Videbar ego ipse, mane cùm Civitatem lustraremus pariter omnes, videre gentiles homines, ac quantum de hac synodo ad se utilitatis peruenturum sperarent, quadam vultus hilaritate ostendentes: faxit Deus, eorum vè fallatur expectatio. Synodum celebramus, quo potissimum tempore, animæ maximè sunt ad recipienda spiritualia remedia disposita, ac criminum maculas expiarunt. Hoc denique insigni die, qui sanctissimo Galdino, prædecessori, Pafiori & Archiepiscopo nostro est ficer;

F 4 cuius

eius adeo seruens fuit muneric sui exequendi studium, ut & ex hoc loco prædicans, finito sermone expirarit; ac populis Euangelium proponens, pro ipsis etiam posuerit animam. Huius sacratissimum corpus in hac Ecclesia asseruatur; pignus est nobis potissimum eximiae illius charitatis, qua dum vivueret, animas has est prosecutus; qua etiam cum nunc multò magis præstet, non est dubitandum, quin nobis etiam idem procurantibus, ope sua sit adfuturus.

Synodus igitur facimus: sed Cur? Cur Deus omnia sua opera est operatus in nobis? ut profectò habeat filios, in quibus gloriiscetur: omnium quippe Dei operum vnicus scopus & finis est, sua gloria, eaq; plenè manifestata, quod hæc omnia referuntur. Ideo cœlos, & Angelos creauit; Ideo elementa, plantas & arbores; Ideo homines ad sui imaginem ac similitudinem: ut filios ipsos haberet, per quos gloriiscaretur, & in quibus gloriose inhabitaret. Hoc idem prætendit vniuersa gubernans, hic eius beneficiorum omnium, promissionum, ruinarum, & flagellorum est scopus. Et cur putatis Dei filium è cœlis in terras venisse, humanam carnem sumpsisse, passum, crucifixum, & mortuum esse? Ecce, hic omnium finis, scopus, & fructus extitit, perhibente conscientia arcuorum ipsius Ioanne: In propria venit, & sui eum non receperunt: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Est verò Christi spōsa Ecclesia; ideoque viuis ambo sunt desiderij & affectus, nihilq; ipsa magis desiderat, quam ut Christo filios plurimos pariat, & Christum in filiis suis omnibus parturiat, cum ad hoc se ab ipso despontata, immò ex eius latere formatā agnoscat. Quid mirum igitur, si Ecclesia nobilissima pars Paulus, non semel aut bis parere filios Christo contendebat; sed & mōrientes denuò parere satagebat? semper erat in partu. Ideoq; dicebat; Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.

Hunc Ecclesiam spiritum nobis Ioannes ostendit, præclara illa quam descri-

puit visione: Et signum magnum apparet in celo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius; & in capite eius corona stellarum duodecim; & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciatur ut pariatur. O quam magnum habet desiderium pariendi: angustiatur, affligitur, cruciatur, dolet, clamat, quādiu militans est; nec cessabit, donec perfectè & omnia triumphanti iungatur: Hoe vnicum ipsis negotium, & filiorū eius itidem est: hoc maximè spectat in omnibus actionibus, synodis, Visitacionibus, Decretis, ministerijs, Dei verbī prædicatione, correctione, vniuerso denique regimine. Hæc hora adeo tarda, qua adhuc hic persistimus, tam longa & diurna hæc Congregatio, cruciatur illorum, ac desiderij pariendi sunt manifestissima indicia. Crucibatur ut pareret Apostolus Paulus; & videte quomodo non modò cruciatus illos non horreret, sed potius in ipsis gloriaretur: in laboribus (inquit) plurimis, in carceribus abundantius, in plagiis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudeis quinques quadragenas, una minus accepi: ter virgis cæsus sum; semel lapidatus sum; ter naufragium feci; nocte & die in profundo maris fui; in itineribus sèpè; periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana solicitude omnium Ecclesiarum. quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non voror? Sed quis Pauli dolores intelligat, quos non semel sed toties perferre cogebatur; quos enim semel Christo pepererat, postmodum pereuerates, & à vera fide deflectentes, impellenente vi charitatis, iterum parere cogebatur; dicens, Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus.

Iam ergo quid faciamus, videtis; ad quid conuenerimus, agnoscitis: nonne mini-

I. 66. ministrī sumus sanctā matris Ecclesie? cur non' eam ad hoc suum desiderium exequendum iuuemus? quis non cupiat conformari ei? & hunc eundem zelum habere? Non me iam Reuer. sacerdotes audite; sed Deum patrem imprimis audite: an non meritò clamat & queritur: [Nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? si ego qui generationē cæteris tribuo, sterilis ero?] Ego piscibus, auibus, cunctis animalibus do ut pariant, & species suas conseruent; & ipse filiis carebo? Audite Dei filium ab Ecclesia sua filios duplici nomine repeatentem, verbis illis quæ Sephora dixerat Moysi: [sponsa sanguinum tu mihi es:] non solū ego te, o Ecclesia, creavi, ideoque filios mihi debes; sed è latere meo te in Cruce eduxi, & desponsauis te meo mihi sanguine, vt mihi produceres filios. Audite sponsam ipsam sanctam Ecclesiam, nostram hanc præfertim, acerbissimis lachrymis dicente: [Nunquid ego quæ alios parere facio, ipse non pariam?] quām multis provincijs leges ego præscripti, quas ipsæ complexxæ sunt, & desiderarunt; quām multæ Dicēcesis constitutionibus meis ac synodis adiutæ, partus ediderunt vberrimos? Et heu, proh dolor, [ego quæ generationem cæteris tribuo, sterilis ero?] Cruciatitur hæc benignissima mater ad finem usque saeculi in vniuersum, vt pariat; quandiu enim pariendi tempus erit, parere semper desiderabit; sed nūc præfertim nulla profecto ei esse poterit consolatio, si non verè & cum effectu filios suscipiat ex nostris laboribus, & pariat nostris studijs Christum in nobis, & in populo. Nec consolatur eam, quod quantum potest curæ & studijs adhibeat ad pariendum, nisi partus subsequatur. [Vox enim in excelso audita est lamentationis, luctus, & fletus; Rachel plorantis filios suos; & noluit consolari, quia non sunt:] Quid enim illam iuuet, quotidie synodos, quotidie congregations habuisse, quotidie mores reformatæ, quotidie noua decreta edidisse, vetera iam abolita restituisse; nisi frumentum videat operum suorum? Moueant nos, fratres, Matris nostræ iusta lamenta, moueant lachrymæ, moueant clamores;

res; moueāt materna illa viscera, ne impietatis arguamur, & ingratitudinis; illamq; consolari studeamus. [Quiescat,] benignissima Mater, [vox tua a ploratu, & oculi tui a lachrymis, quia est merces operi tuo(ait Dominus:) non irriti erunt conatus tui, non sine fructu labores tui, non in vanum cruciaberis;] sed reuertentur filij ad terminos suos;] Concipient iam qui haec tenus steriles fuerunt, & parient; [qui a te procul abierant, iam reuertentur:] Ecce enim ego inebriabo animam sacerdotum pinguedine, & populus meus bonis adimplebitur, ait Dominus.] O magna & inclyta Dei instrumenta sacerdotes, a quibus omnis populorum pendet beatitudo; qui si pingues sint, erunt itidem populi pingues; & secus, si illi inanes erunt & vacui, magnum populis vniuersis immimentibit paupertatis huius periculum. Faxis Deus Op. Max. vt ita calore repleamur, vt cæteris etiam calefaciendis & succéndidis apti reddamur; ita abundet in nobis eius sanctissima gratia, vt & nos ea repleamur; & cæteris etiam de ea copiose communicemus. Amen.

Ierem. 32.

C O N C I O II.

Ad Clerum in eadem Synodo.

Audentissimum est, dilectissimi fratres & filij, Ecclesiæ sacrosanctæ desiderium, parturiendi plurimos filios Christo, per quos eius gloria propagetur; nec desunt multa, quæ hoc desiderium maximum augent. Verum cum nostræ huius ecclesiæ statum præcipue perpendo, video mihi eam audire cum fletu & lachrymis lamentantem: [Nunquid ego quæ alios parere facio, ipse non pariam? & ego quæ generationem cæteris tribuo, sterilis ero?] Iusta profecto esset hæc illius cum Domino querela, si ex tot synodis fructum non perciperemus, quem a nobis Spiritus sanctus requirit. Iam neminem vestrum latet, quia nostra hæc Concilia, hæ Synodi, hæ decreta, transgreduntur maria, transuolant montes, penetrant longinquæ Regna & Provincias; intrant.